Dissertationes ... de variolis / [Lorenzo Gaetano Fabbri].

Contributors

Fabbri, Lorenzo Gaetano, 1680-

Publication/Creation

Florentiae : G.B. Stecchi, 1746.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/v8upytd7

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

032/B
F. XVIII
19/F

Hoopli
May 03

44 E 10937

DISSERTATIONES

LAURENTII CAIETANI

F A B B R I

F L O R E N T I N I

IN SANCTAE MARIAE NOVAE

N O S O C O M I O

MEDICINAE PRACTICAE MAGISTRI

DE VARIOLIS.

FLORENTIAE. MDCCXLVI.

APUD IOANNEM BAPTISTAM STECCHI.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

10937

WELLCOME HIS LIBRARY

Deputemus intelligentiam datam, quasi pecuniam mutuatam; quo plus nobis creditur ex benignitate; eo debitores amplius tenemur in opere.

Gregor. in Moral.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30500783

DISSERTATIO PRIMA.

CUM mei muneris ſit proponere morborum hiſtorias ad eas interpretandas, & examinandas; ut facilius per vos curationes rite recteque perficiantur: non abs re erit, ſi hac dominante Epidemia, in qua VARIOLARUM contagium per aëra ſerpens indeſinenter graſſatur, ipſo dicendi aditu, talem vobis proponam morbum, ut ad examen revocetis conſtitutionem iſtam, nimis ſaepe invaden-

dentem, bono publico officientem, & civitates aeque ac rura vaſtantem. Scire debetis nullum malum Rebuſpublicis, & Principatibus reperiri poſſe nocentius, quam quod depopulationem infert, multitudinemque tollit, vel imminuit gentium. Fames auro, argentoque redimitur: belli damna pace reſtaurantur: paupertati pietate ſubvenitur: commercia fracta conſilio recuperantur. At defectui colonorum, plebis & civium, aetates tantum hominum, & longa temporis ſpatia remedio ſunt. Hinc optime conſultum a Rectoribus, & Principibus providere, legeſque condere, per quas incolantur Provinciae, eaeque multitudine habitantium frequententur. Noſtris hiſce fere proximis temporibus in exemplum eſt Hollandia; quae paupertatem, & triſtes labores exuta, hoc uno conſilio ad tantam felicitatem, tantamque gloriam, & famam brevi temporis ſpatio evecta eſt: ut non niſi cum Regnis de Maieſtate certare, & cum maximorum Principum potentia conferri poſſit. Si itaque ſola multitudine populorum divitiae augentur, Regum & Rerumpublicarum dignitas ſubſtentatur; an qui morbus depopulatur civitates, comitatus, & agros, non erit bono publico

in-

infenſiſſimus, atque invidentiſſimus? Ut vera fatear, non video quid huic poſſit comparari nocentius. Peſtis namque ipſa, in qua iura humana aeque ac divina corruunt omnia; in qua quicquid eſt reverentia dignum negligitur; in qua culmen reperitur calamitatis aerumnarumque, viſu & auditu deforme, minime cum Variolarum morbo debet comparari. Etenim non ſaevit illa in Civitates, & Provincias, niſi per longiſſimos temporum tractus; ſi tamen quaſdam excipiam gentes, quae barbarię involutae, & ſordidis moribus communicantes invicem, malorum hanc quaſi fecem vitae ſordibus adhaereſcentem, & ineluibilem ſervant: quod permittit vindex Deus, non tantum ad propria, domeſticaque delenda facinora; verumetiam ad frangenda ſcelera eorum, in quos diſſeminatur, ac ſpargitur; quaſi in depoſitum aſſervetur inter perditas gentes, ad perdendas alias perditas, & profligatas gentes. At Variolae, licet prorſus exaruerint (neſcio quo fato, vel decurſu rerum) ſtatis breviſſimis annorum circuitibus revireſcunt ac pullulant; adeo ut lethaliſſimus hic morbus, dum abeſt, timore compleat animos eorum, qui ipſum non adhuc paſſi ſunt: & dum viget, interimat, jugulet,

let, atque avellat plurimos familiarum ſurculos, quibus omnis nititur ſobolis propagatio. Conferte modo, Auditores, cum Peſtis morbo, Variolarum morbum, & advertite, ſi huius frequens ſtrages poſſit cum inſolita clade Peſtis comparari. Tollit illa cuiuſcumque aetatis homines; ſed ut plurimum in vitae ratione delinquentes: hic in pueros praeſertim, & innocentes ſaevit: multos illa relinquit intemeratos: hic in omnes conſtanter debacchatur, & furit: illa ex remotis regionibus aſportatur, & ſaepe per vigilum incuriam, & indiligentiam excubiarum irrepit: illa vitari poteſt, vel fugam arripiendo, vel converſationes prorſus vitando: at huius morbi ſemina nobiſcum ingenerantur, atque innaſcuntur. Accedit quod in Peſte, domus, vici, & civitates lamentationibus, plangoribus, & fletibus complentur. Verum (proh ſcelus hominum deteſtabile!) in Variolarum morbo, quibus parva eſt res familiaris, dicunt Mortem ipſam mendicitati ſuccurrere: neque anguntur animo, neque horrent infandum illud ſacrificium, quo filii morbi incendio combuſti pereunt, & concremati. At cui placuit perdere Lepram; placeat aliquando hunc perdere morbum ſpurcum, aeque ac perni-

cio-

ciosissimum ; cuius nulla apud principes Medicinae praeceptores mentio est : cuiusque perpetua continuatio alias videretur aeternam debilitare Providentiam ; quae ad Universi maiestatem ; crescendi , & multiplicandi legem illam solemnem , solemni illa exorientis orbis Die , constituit , atque sancivit . Nos tamen , qui humili semper mente venerari Dei iudicia , qui certo consilio rerum universitatem gubernat regitque , nunquam tamen scrutari debemus ; quia Deus absconditus , & nubes in circuitu Eius, & caligo infinita est ; qua mentis ipsa acies contemplatione obtunditur , atque excaecatur , minime debemus in arcana Divinitatis inquirere ; quaecunque tamen artis nostrae sunt , procurare , & administrare . Verum enimvero cum plura ea sint , quae de morbi huiusce causis , & curatione superioris aetatis tradidere Medici ; non necesse habeo iterum omnia referre , quae faciant ad morbi examen , & medelam . Una tamen haec est ratio , unde placet sermonem instituere ; quia scilicet , cum aliquantulum defecisse mihi videantur , qui Variolas examinaverunt , ac tractaverunt ; minime reticenda sint [quamvis perpaucula] quae ipse Ratione , & Experientia perceperim . Neque ob id inuren-

dum mihi esse crimen temeritatis arbitror: etenim non tam quae gravis incumbit necessitas ipsa me loqui cogit; verum etiam rei difficultas, & hominum cuiuscunque temporis in curatione Controversia. Cum itaque de Variolarum permulcenda enormi rabie praecipue ante ipsam invasionem, dicendi cardo maxima ex parte hodie vertatur; obnixe precor, ut dum, quantum in me est, saluti, & incolumitati gentium servio, benignas aures dicentis verbis praestetis, atque accommodetis.

VARIOLARUM morbum a sordibus materni sanguinis, quo inquinatur foetus in utero, ducere exordia, apud plurimos Scriptores receptum est. Veruntamen talem sententiam tenentes, dubitare non deberent de illis temporibus, quibus coepit invadere homines: multaque exstare deberent adnotata ab antiquis Medicis solertissimis, & in morborum observationibus, & signis supra recentiores omnes oculatissimis. Etenim cum factum sancte admodum fuerit, feminas graviditatis temporibus, ideo solitis uteri evacuationibus minime purgari; quia foetus accretio, & vigor nullo modo praepediatur, ac concidat; videtis eas Naturae leges, quibus modo devinciuntur homines,

ipso

ipſo in Mundi exordio, aeque ſtare debuiſſe: & debuiſſe primos illos terrarum incolas hanc peccati poenam luere, eo prorſus modo, quo inſequentibus temporibus nati ſubſtinere coguntur. Veruntamen, cum tam gravis morbi nullam aliam habeamus anteriorem informationem, praeter illam, quam Arabes Medici tradidere; non abs re eſt exiſtimare, vel prorſus novum illis apparuiſſe; vel antiquis temporibus adeo mitem extitiſſe, ut Artis referre auxilia prorſus fuerit inutile, ac ſupervacaneum: & ſicut certo ſcimus, luem Gallicam ex America in reliquas terrarum partes traductam, primis hominibus infectis, dum adhuc barbaras illas incolerent regiones, nullam intuliſſe moleſtiam: cum vero Europae ſinus iam appellerent, ſummis angoribus, & cruciatibus afflixiſſe: & ſcimus pariter novam hanc luem noſtris hiſce temporibus nonnihil mitigatam, nec adeo ſaevam eſſe, ut fere omnes, qui tunc ex ipſa aegrotabant, ſpe ſalutis fruſtrati, & morbi vituperio confecti venena arripere, & mortem quaſi ipſam ſibi conſciſcere cogerentur: ita credibile ſit, mitiorem anteactis temporibus fuiſſe Variolarum morbum. Habeo Scriptores, Hiſpanos, occupata America, Indis,

quibus fuere hactenus incognitae, communicaviſſe in hoſtimentum luis venereae inde primum adſportatae.

Novos naſci morbos, qui nunquam fuerint, non cenſeo: cum principia, per quae exoriuntur, admixta extiterint in ipſa hominum complexione; verum nocendi illis laxatas habenas fuiſſe: quare arbitror, vel per tempora delituiſſe, vel quondam alicubi extitiſſe mitiores: & tantum ſuſcepiſſe incrementa, veneficamque induiſſe naturam inter quarundam Regionum homines, quibus inſiti fuere firmatique. Cum experientia doceamur, Variolarum vim per pluviarum multitudinem enervari, & per quaedam anni tempora debilitari; ita ut ipſa remiſſio Caloris, vel Frigoris, vel Siccitatis, vel cuiuſdam praecipuae qualitatis illas infringat, & extenuet; ratione pariter ad exiſtimandum adducor, per temperatas quaſdam Regiones adeo moderari, ac temperari potuiſſe, ut leniter admodum invadere valuerint, & officere. Id, quod me in ſtuporem rapit, & admirationem, eſt, poſt illarum remiſſionem, & extinctionem, nova & certa periodus, ac comprehenſio: quare prorſus neſciam, an quadam converſione influentium Siderum; an praecipuorum Vento-

rum

rum afflatu, iterum per ipſam praecipuam indolem novae affluxae materiei morbus exſuſcitetur, & pullulet.

Optabile profecto eſſet, & ſummopere expetendum, niſi veram, ſaltem veriſimilem vobis proponere ſententiam, ad hoc, ut tanti momenti res eluceſceret, veſtraeque omnium intelligentiae ſatisfaceret. At cum nihil habeat dubitationis Ariſtotelis effatum dicentis: *quemadmodum veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent; ita & intellectus animae noſtrae ad ea, quae manifeſtiſſima omnium ſunt*: videtis a me nihil poſſe referri, quod tantae difficultati explanandae ſufficiat, quodque poſſit grande Naturae myſterium revelare. Hoc certum inter animalem Spiritum, & Materiam reliquam, quaſdam nobis penitus abditas eſſe leges, per quas & ipſa agatur Materia, & ab eadem ipſe exagitetur Spiritus. Tali Materiei, & Spiritus nixu, & renixu, tota hominum ſalus, & animantium ſubſtentatur, ac pendet (ſi tamen ſervetur inter Materiam, & Spiritum aequilibrium, quaedamque actionis, & paſſionis proportio ſit:) at ſi Spiritus plus aequo actuoſior inertem Materiam appellat, urgeatque; frangitur, & concidit aeque ac ſi ipſa Materia ignavum,

evani-

evanidum ſuiſque viribus enervatum attingat, vel faciat Spiritum. Huc reſpiciunt omnia Medicorum monita, & praecepta, quae Ratione primum, & deinde Experientia, vel ad temperandam Materiam, vel ad recreandum, reſtituendumque Spiritum reperta ſunt. Huc reſpiciunt inſtituta, juraque ipſa Naturae, quibus laedi viciſſim, viciſſimque refocillari ſentimus.

Per haſce leges hominum generi impoſitas; quae leges (melius quam Motus, Naturae leges dicendae; cum Natura ipſa ſit Motus fons, origoque) a Deo ſanctiſſimo Conditore in rerum exordio ipſi inſertae cuicunque Naturae, non tam ſanitatis, & vitae; verum aegritudinis, & mortis functiones peraguntur, ac fiunt. Nec alio, ut ſaniori apparet ſententia, Medicorum diſceptationes de criticis diebus revocandae videntur, quam ad illam vim legum earundem, quibus Materia, & Spiritus invicem colligantur, & agunt: ita ut quae fiant deciſiones morborum citiores, vel tardiores, non aliunde pendeant, deriventque.

Hippocratis temporibus, qui veterum Medicorum obſervationes, cum ſui temporis obſervationibus conferre vehementius ſtuduit, acuti morbi quatuordecim diebus

iudi-

judicabantur: at noſtris, quis eſt qui non videat, hiſce tantundem diebus, ut plurimum, eundem ſimiliter ſervari ordinem, dierumque terminum? Quocirca ableganda eſt, & irridenda illorum opinio, qui inconſideratiſſimae temeritatis pleniſſimi, audacter queruntur, & lamentantur, quod valde iam ſint debilitatae corporum conſtitutiones; non advertentes hominibus otio laſcivientibus, & voluptatis effervescentiis defatigatis, plurimiſque morborum ſordibus inquinatis, & infectis eorum ſeminibus, concidiſſe; at nullo modo propriis enervatam viribus defeciſſe Naturam.

Cum itaque dictis Hippocratis temporibus, qui duobus millibus, & dugentis circiter floruit ab hinc annis; eaedem, quae modo ſunt, adamuſſim Naturae leges fuerint, haeque ab ipſa indole humanae Materiei, humanique Spiritus pendere videantur; quid prohibet autumari, per quaedam determinata tempora, quemdamque praecipuorum corpuſculorum influxum, materiam illam Variolarum noviter accreſcere, fermentari, inflari, ac excludi in puſtulas: ex quarum diro afflatu, ſimilis quoque aliorum corporum concitetur, atque incendatur Materia?

De

De atroci hoc morbo Variolarum, cum quaedam iam dixerim, quaedam quoque ad praesentem Dissertationem facientia addenda sunt. At cum ab effectibus melius, & securius de rerum essentia liceat argumentari; id quod huius morbi sit, reducendum videtur ad Venenum quoddam insigniter causticum, atque inurens, quod sua potestate irritat, vellicat, mordicat, incendia febrium furentium exsuscitat, inflammat carnes, & deinde, licet plurimis parcat, quosdam tamen devastat, corrodit: & quos occidit, in carbones denigrat siccatque.

Venenum hoc residere credibile est in quibusdam particulis, seu corpusculis, quae in nutritione, & accretione partibus foetus adiecta sint; & cum sint haec non naturalia, & a principiis foetum componentibus prorsus aliena, inertia remanent, & minime operosa. Cum vero per inspirationem iam nati foetus inquinati aëris fomenta senserint, & per externam illuviem, interna illuvies multo magis accreverit; omnia quae ab Auctoribus enumerata, & ab Experientia patefiunt Symptomata, plus, minusve iuxta veneni quantitatem, exsuscitantur, indeque a Natura in pustulas sequestratur, includiturque usquequo in saniem effun-

effundatur, ac diffluat. Quod ſi probe ſuccedat, convaleſcunt aegrotantes: ſin autem, vel male ad externa eliminetur loca, vel retrocedat, Compoſitum omne vitiat, atque ſollicitat, adeo ut vita aegrotantis periclitetur, vel concidat.

Omnia, quae ſparſa in Orbe ſunt univerſo, venena, intra uniuſcuiuſque corpus agere & produci poſſe, meliores Medici conſentiunt omnes: etenim cum ex diverſis, & innumerabilibus Principiis formatiſimus, & coagmentati, & horum Principiorum actiones fiant a Spiritu, & a mutua, atque alterna ipſorum fluiditate, qua invicem ſeipſa pervadant, contemperent, & in aequilibrium aſſervent; videtis quod ſi a naturali ſtatu ea dimoveantur, morbos parere; & ſi recedant magnopere, illam, quam dicimus venenatam, interficientemque induere debere naturam. Hanc doctrinam incorruptam edocuit omnibus Medicis Hippocrates, ſic dicens in libro qui eſt de veteri Medicina „ *Ineſt in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamque & robur. Atque haec quidem iuxta ac inter ſe tempe-*

 „ *rata,*

„ *rata , neque conſpicua ſunt , neque ho-*
„ *minem laedunt : ubi vero quid horum*
„ *ſecretum fuerit , atque ipſum in ſeipſo*
„ *fuerit ; tunc & conſpicuum eſt , & ho-*
„ *minem laedit .* „

In tantum itaque, ſecundum hanc Hippocratis ſententiam , probabile eſt quod morbi exoriantur in partibus ſolidis , in quantum ſcilicet Principiis , & naturalibus Componentibus illarum plura ſimilia, vel diſſimilia corpuſcula adiecta ſint : quae uſquequo multitudine, vel poteſtate proximiora ſuperaverint ; & ſuperata ſint invicem , & perſtiterint talia qualia , nullam inferant noxam , etiamſi partibus fuerint diſſimilia ; uti materia Variolarum, quae taliter firmata & diſpoſita, non nocere poſſe per aliquod tempus , experientia declaratur : etenim nec quae Lentiginum materia, nec quae alia diverſae ſpeciei ſtigmata efficit, morbos procreare ſolita eſt ut plurimum ; nocere tamen utique, quando alia Corpuſcula noviter advenerint, & ſuperaccreverint , & quae iam erant exſuperantia facta; partium ceteris Principiis immiſcuerint ſeſe, motumque conceperint extraneum , quem refraenare potis ipſe non ſit Spiritus . Et probabile ſimiliter videtur ,

quod

quod ex Liquidorum vitio exoriantur morbi: ſi quaedam Principia, vel Componentia, vel alia cuiuſvis generis admixta, quae fluiditatem habere debebant, concreta fiant, & perſiſtant; ita ut ea neque compeſcere, neque frangere ipſe valeat Spiritus. Cum vero quae concreſcunt ex Principiis, & ex Componentibus, vel ex his, quae admixta ipſis ſunt, concreſcere debeant, & copulari ob aliquam immodicam iacturam Spiritus, qui amiſſa propria, & naturali ſua vi, nequeat illa Corpuſcula in debita fluiditate continere: ſive facta haec fuerit iactura, ob auctam inſenſibilem tranſpirationem; quare quaedam ipſius pars evanuerit [ſive ob aliam cauſam imminutus ipſe fractuſque maneat Spiritus] hoc probabile mihi videtur, ex iactura Spiritus concretionem hanc Principiorum, & Componentium cuiuſvis generis, ipſi tamen iacturae conſentaneam, fieri debere: quapropter Spiritus iactura ex quacunque cauſa, omnium morborum tam in Solidis, quam in Fluidis, & ſenectutis quoque & mortis origo ſit.

Et licet, per ea quae dicta ſunt, generatio, & exortus declaretur plurium morborum, qui abſque febre ſunt; non vero ipſa febris eſſentia, quae tot adnectitur

morbis ; ſciendum eſt, altum nimis febris eſſe myſterium: nec poſſe imbecillem hanc meam opinionem aliquo modo ſubſiſtere, abſque eo quod declaretur, quomodo febris effectus erumpat ; & varii circuitus, comprehenſiones, & circumſcriptiones variae, & Corticis etiam Chinae, quo quaedam tolluntur febres, operatio declaretur, ut in meis nuper impreſſis Diſſertationibus indicatum eſt. Quae omnia cum maiorem animi quietem, & otia requirant, non eſt huius loci referre: non enim modo febris eſſentiam, ſed venenum Variolarum, & harum curationem inquirere placet, ac examinare. Quod, poſito, reliquis, & innumerabilibus principiis nutritionis foetus adiectum fuiſſe, & praeſertim ſolidis illius partibus infixum, ſtatim ac per aliquam conſtitutionem aëris referti iſtiuſmodi corpuſculis accreverit adeo, ut quae inſunt principia componentia virtute ſuperaverit „ *& ipſum in ſeipſo fuerit ; tunc &* „ *conſpicuum fit, & hominem laedit.* „

Corpuſcula igitur haec inſigniter cauſtica, atque inurentia, ſimilibus particulis, quibus abundet aër cum fuerint aucta, ſuique facta iuris, ut nequaquam evinci, exaequari, & in quadam inactione a Spiritu,

tu, & ceteris naturalibus Principiis poſſint contineri; ecce tibi quod veluti a multiplicato fermento, ſolidorum, & exinde humorum maſſa fermentatur, agitatur, ebullit: & morbus fit bonae indolis, ſi corpuſcula venenum conſtituentia parum a naturali ſtatu receſſerint; malique moris, e contrario, ſi venenum maximum ſuſceperit incrementum, talemque indolem, quae minime poſſit a Natura ſuperari.

Morbos plurimos, ac ſaeviſſimos ab aëre vitiato, & inquinato, & nonnullis infeſto hominum temperamentis, fieri Ratio ſimul, ac ipſa demonſtrat Experientia: etenim cum ſint homines, quaſi aëris piſces, qui non ſolis cibis, & potionibus; verum aëris ipſius beneficio alantur, & creſcant; non ea tantum laedunt homines, quae per ceteras res nonnaturales errata, fiunt; verum quae cum vitiato aëre inſpirare coguntur, illis interdum officiunt maxime.

At cum actu aegrotantes, & qui aegrotare timent, non de morbis, neque de illorum eſſentia; veruntamen quibus auxilientur praeſidiis, ſcire exoptent, ut vel futuram tempeſtatem cavere, vel praeſentem poſſint effugere: operae pretium eſt ea

innu-

innuere primum, quae ſuperveniente, & iniecta epidemica hac conſtitutione procuranda ſint; praeſertim cum talis morbus, non plurimos continuo invadat, ſed lente extrinſecus adveniat: commoretur tamen ultra quam ſatis videatur, & ad alios demigret.

Ea idcirco, quae ad comprimendam frangendamque illius ferocitatem veniunt, modo (quantum humanae induſtriae conceſſum) conſideranda haec ſunt; vel enim qui tali morbo debet corripi infans eſt, & lacte veſcitur tantummodo: vel iam infantiae tempora exceſſit. Si lacte nutricis dumtaxat victitetur infans; cavere debet mulier omnia nimis ſalſa, & aromatibus condita: ſicut acria nimis, quae Ars, vel Natura ſuppeditat. Et ideo hoc praeſtandum; non quia veneni vis imminuatur, debiliteturque: etenim ut obſervare potuiſtis in hac epidemica conſtitutione, etiam qui nihil in victus ratione deliquerunt, extremam perniciem paſſi ſunt: verum quia ne morbo Variolarum, alter edacitatis morbus, & intemperantiae iungatur. Miſereor ipſe paupertatis, & mendicitatis quarundam feminarum, quae allia, & caepas, ceteraque agreſtia edulia, & ſaepe incocta, ad vitam tradu-

traducendam coguntur aſſumere: quae deinde cum in lac brevi tempore vertantur, & commutentur, exitiale infantibus praebent alimentum.

Scio ſane plurimas mulieres, & quae ſunt pauperrimae hoc nutrimento infantes educare aſſuetas: & ſcio quaſdam, acerrimos fructus, & auſteros, ſicut & aromata quaedam irritantia, & pungentia ad vitae uſum uſurpare ſolitas. Nec ullo modo ideo accuſanda Naturae benignitas eſt, ſed laudanda ſemper, quod talia aromata, taleſque fructus producat ad cibos graves, ſtomachoque difficiles digerendos: verum ipſae feminae arguendae vituperationeque reprehendendae ſunt, quod maligna ingruente aliqua influentia, tali quo utuntur victu infantes perdant: vel etiam non ingruente, diſturbent eorum corpora, & in illis data opera, convulſiones etiam, & terraemotus excitent. Si eſſet charitatis, & amoris ſenſus, deberent profecto, ſaltem tunc temporis temperare ſeſe, & infantum ſaluti proſpicere. At quantum in gignendo procacitatis, & induſtriae; tantumdem magna ex parte in educando indiligentiae, ſocordiaeque invenitur.

Quid dicam modo de vini abuſu, in

quo

quo ſeſe moderari, non tamen prorſus ab eo abſtinere deberent? Etenim ſapientes Antiquitatis Medici, qui vinum dixerunt eſſe ſanguinem terrae; neque nutricibus, neque pueris illius uſum penitus interdixerunt: at ſumma moderatione, & quamaquoſiſſimum aſſumendum voluere. Et hac in re dicendum, quoſdam extitiſſe, non re, & opere, verum rumore tantum Medicos, qui, quaſi vim nominis abhorrentes, vinum quibuſcunque nutricibus prohibuerunt, phyſicae rationis ignari, qua intelligitur vinum aqua multa perfuſum, aqua ſola potentius, & valentius ad nutriendum ſimul ac ad refrigerandum eſſe. Aquae ſiquidem ſoli non tanta vis ineſt pervadendi, & percurrendi minimos, & exiliſſimos canaliculos; quare debita pernicitate ferantur Liquida ad partium omnium incrementum & alimentum: neque partibus ipſis tanta impertiri poteſt vis; unde ſolitis functionibus peragendis, abſque nova aliqua ſpirituoſi liquoris affuſione ipſae ſufficiant.

Exſtat in libro de Aëre, aquis, & locis, qua tales redarguuntur Medici huiuſcemodi Legislatoris noſtri ſententia „ *Et* „ *ſane cenſeo melius eſſe pueris vinum quam-* „ *aquoſiſſimum dare: minus enim venas adurit,*

„ *ac*

ac resiccat. Et in libro de salubri Dieta, ait „ *Pueri infantes diu sunt calida rigandi,* „ *iisque vinum dilutum exhibendum, quod* „ *prorsus tamen frigidum non sit, idque offe-* „ *rendum, quod minime ventrem attollit, &* „ *flatum creat. Atque haec facienda sunt, quo-* „ *minus tentent convulsiones, ipsique crescant,* „ *& melioris coloris fiant*.

Quomodo talis efficiatur per vinum operatio, declaratum est ab insigni viro Nicolao Falcuccio Florentino; cujus mors saeculo XV. publica lamentatione deplorata civium omnium consulto, maiori hac in Ecclesia iusta ei persoluta fuere. Is in illo, qui est de siti Tractatu, haec protulit: *Vinum, licet sit multae lymphationis, non intendit humectare corpus, sicut facit aqua, & est verum humiditate madefactiva; sed humiditate substantifica humectat plusquam aqua, & reapponit partem eroridam deperditam*.

Quod si tali potu infantes praesertim & pueruli tractandi sunt, annon etiam nutricibus pauxillum vini indulgendum; cum plurima iidem abundent, quam continuo per os eiiciunt, saliva; cumque ipsorum partes viscosis, & glutinosis humoribus oppleantur, & obruantur, qui exagitari, ac dissolvi per vividi lactis influentiam exposcunt,

quominus convulſionibus, multiſque aliis graviſſimis morbis, ab humorum viſciditate exortis, corripiantur, ut ab Hippocrate alio in loco praeceptum eſt?

Ad vini interdictum fuere quibus placuit novam forſan adiungere & maiorem inſaniam, prohibendo quoque in obſoniis ſalis uſum nutricibus; non alia profecto ratione, niſi vel quod revera ſapientiae ſale tales Medici orbati; vel quod in illis prorſus evanuerit. Quis enim eſt qui neſcire debeat, lac per talem victus rationem non ſatis infantes alere; cum obſonia hujuſmodi inſipida a Natura ipſa reſpuantur: unde & nutricis vires collabefactari atque infirmari debeant; neque ſciat, ſalem rebus pro anima datum: quare fructus omnes ſuo praecipuo ſale Natura conſpergit: & coquendas res ſale condire neceſſe eſt, ad ſpiritum rei coquendae retinendum, ne per effervescentiam diffipetur, & avolet?

Priſcis illis Anachoretis herbis veſci ſolitis ad comprimendam & refraenandam membrorum legem ſemper legi mentis repugnantem; non tantum minime ſalem fuiſſe vetitum, conſtat; verum *ſalem interdicere* ad denotandam feritatem, & quamdam contra homines agreſtem immanitatem

tem a Latinis antiquo proverbio usurpatum.

Verum enimvero non liceat mihi hoc in loco insectari foedissimam quorundam Medicorum assentationem, qua divitibus ad usque vitae extremum blandiri volunt ad turpem lucrum aucupandum: nihili existimantes, si qui crescant pueri, tali educati ratione, debiles ac morbosi victuri sint: sique nutrices, quae per paupertatem natorum suorum charitati renunciare usque coguntur; victu non humano, atque insalubri, & conclavibus inclusae in miserrimam servitutem redigantur; liceat tamen deplorare aeque miseram infantum illorum conditionem, qui acerbitate fructuum, aromatum, & vini nimio usu; vel qui nullo sale, nulloque vino confectum lac assumentes, morborum supervenientium impetu irruptioneque longe periclitantur.

Utrum talis morbus enormis sit omni studio effugiendus, an non, mihi non satis constat. Hoc certum, omnes qui primas excesserunt aetates, a tali adhuc immunes vectigali Naturae, de nimis anxia sollicitudine parentum conqueri, conversationes hominum habere suspectas: timore, ac paviditate compelli; vitaeque usura semper fatigari. Quod si talem morbum

paſſi fuiſſent; iam Gloriae Aeternae bonis, vel ſaltem Naturae, ac Fortunae melius potuiſſent perfrui.

Morbo idcirco graviſſimo, omneſque per aetates pertimeſcendo nullam aliam, Dieta, magis ſalutarem praeſtandam eſſe proviſionem arbitror; qua ſcilicet graſſante Epidemia inſtituatur victus boni nutrimenti, taliaque ſint eſculenta, & quae per potionem ingeruntur. Vitari debet caſeus, & viſcoſa pulmenta, ſicut & aromata, & quae acida, & quae acria, & pungentia omnia: fructus, & praeſertim plurima ſcatentes aciditate interdicendi; ſicut & dulcia ad vitae luxum, & pompam comparata. Iuſcula & carnes concedendae: ſicut & ova, quae, juxta Hippocratis doctrinam, lactis naturam redolent. Modico vini uſui aliquid dandum licentiae. Herbae, quae ſint aceto conſperſae videntur permittendae. Victu denique hominibus conveniente, & quantum fieri poteſt ſimili, tractandi ſunt ante invaſionem, & invaſionis tempore, ut morbi iniuriae arceantur.

Quae eſt autem in nonnullis Auctoribus hodie tanta perverſitas, ut tot iam inventis alimoniis, aqua, & herbis, & fructibus; victu ſcilicet cicurum, vel inſectorum, vel agreſtium animalium proprio; mi-

miſeri quidam aegrotantes inſolente praecepto victitari debeant, & velint! Exercitia talia ſint, quae minime ſudores provocent: ſique tempora anni debitam non tribuant aëri humiditatem, cubicula irrigentur frequenter, quo aër inſpiretur humidior. Si enim venenum quid cauſticum, & inurens eſt; quae contrariis pollent qualitatibus utilitatem non exiguam conferre debent. Sique aliquando in pluviarum multitudine debilitari morbum, & comminui, demonſtrat Experientia; qui aër efficitur arte humidior ad veneni vires infringendas conferre debet.

A victus ratione ad caſtigandas vel praeveniendas Variolarum iniurias, cum iam quaeſita ea ſint, quae huic morbo; alias ſuperbo, & indomabili; per dietam aptari poſſint praeſidia, reſtat ut etiam alicuius ſpeciei lac, & praeſertim bubulum, per ſe ſolum, vel aliis admixtum eduliis, dietae huic coniungatur, & quantum ſtomacho ipſi ſufficiet: quod ſi lac reſpuatur, illius vice tantillum butyri per dies offerendum. At ſi & hoc difficile factu ſit, quae ex ſeminibus parantur emulſiones exhiberi debent: omnia tamen iuxta corporum conſtitutiones fiant; non enim eadem

de-

decora quibuſcunque temperamentis hominum: quaedam ſiquidem ſunt, quae quarundam rerum acceptione gaudent; & quaedam, quae ſimili pariter acceptione laeduntur.

Prima hac mea Diſſertatione ad calcem perducta; non dubito aliquem ſatis emunctae naris iam dicta irriſurum. Verum quid contra divini Spiritus eloquium apponi poteſt, iubentis ante languorem adhibendam Medicinam? & quod conſilium dari poteſt utilius ad cuſtodiendos praeſertim, ſervandoſque infantes, quos lac nutricis morbo iam correptos male nutrit, partim quod per Febrem, & auctam caliditatem aceſcat, corrumpatur, adeoque malum & ineptum praebeat alimentum: partim quod per Febrem increſcat ſaepe ſitis? quamobrem ad illam reſtinguendam maiori copia lac ſugere coacti, impotentes ad illud digerendum fiant, malaque induatur ipſum qualitate: ex qua, qui pereunt, & ſi lacte ſint victitati ſolo, tamen extinctorum carbonum, & prunarum ſpeciem referunt.

Haec habui quae innuerem facienda maxime anteaquam tam perniciosus morbus invadat cuiuſcunque aetatis homines; eaque omnia tempore ſanitatis omnibus in

prom-

promptu, obviaque. Cum vero iam irruerit morbus, imparatoſque occupaverit, Naturae potius benignitas, Roburque implorandum, quam Artis, & Scientiae praeſidium: & maxime quod, ut audiviſtis, quaedam ſint corpora, quibus tunc mederi non poſſit, & quaedam quae mederi reſpuant, eaque ſint praeſertim infantium, & adoleſcentium, de quibus ait perbelle Cicero, facilius in morbos incidunt adoleſcentes; gravius aegrotant, triſtius curantur.

Vobis haec a me relata ſint ad quamdam Variolarum generalem informationem, & quaſi in exordium, ac veluti ſeminarium earum rerum, quae dicendae mox veniunt: ita ut ſingillatim quae probabiliter ſit materia, & quae definitio Variolarum; quae hiſtoria, & cauſae, quae curatio per ſanguinis miſſionem, quae per ambientem aërem, quae per potum, quae per victum, quae per Pharmaciam, & Chirurgiam; quae denique ex his illa ſit Medici providentia qua iuvare poſſit, quando Variolae praecipiti furore cuncta hominis diſturbaverint, & effraenatius invaſerint, magna profecto voluntate ad optima veſtra ſtudia dirigenda, in ſequentibus vobis aperiam.

DISSERTATIO
SECUNDA
DE MATERIA, ET DEFINITIONE
VARIOLARUM.

DISSERTATIO

SECUNDA.

Uod dixi in ſuperiore Diſſertatione ad praecavendam praeſertim VARIOLARUM rabiem; rabies ipſa talis Epidemicae conſtitutionis, quae interdum per regiones, diu multumque graſſatur; ad dicendum denuo properare urget, impellitque: partim quod vocem attollere ipſa cogit pernicies nationum, & gentium: partim quod per huius morbi curationem nulla conſiſtit iam recepta methodus: quare ad miſeriam, qua tot vexantur, perturbantur, evertuntur re-

giae aequaliter & plebeiae familiae ; altera maxima accedat calamitas ; non tantum ullam in tam infesto, & praecipiti malo sancitam adhuc esse medendi legem ; verum etiam Medicos contra seipsos divisos de varia, & dispari curatione certare, & calumniari invicem. Sunt siquidem dissimiles adeo circa curationem Variolarum, ipsarumque tractandarum rationem quorundam opiniones, ut quid praestari debeat tali morbo laborantibus per omnium ordinum homines ignoretur, aut saltem haesitatione, vel timore exequatur. Quod profecto, neque contemptum Artis, neque admirationem hominibus sano iudicio praeditis excitare deberet : multae siquidem, ac propemodum infinitae sunt Naturae operationes, & rerum essentiae abditae prorsus, & obvolutae caligine ignorantiae, quas revelare humanae menti nequaquam possibile est. Cum itaque in rerum universitate, & praesertim in humani corporis morbis paucula admodum detecta sint, plurima vero lateant in obscuro ; eo quod difficile factu sit Veritatis faciem revelare; ego nihil faciam amplius, quam inquisitionem rei procurare; labore certe ipso, nunquam tamen praemio contentus. Quae iam leviter attigi,

vo-

vobis tradita fuere ad quamdam generalem informationem morbi, & cuſtodiam: modo veſtrum animos, menteſque revocare placet ad eiuſdem magis praecipuam notitiam, ut inde rationi congruentem medelam veſtris aegrotantibus adhibeatis. Et hoc melius me quidem facturum ſum arbitratus; ſi quem paulo ante propoſui dicendi ordinem, hodie ſervarem: revocando videlicet ad examen hac Diſſertatione ſecunda materiam Variolarum, earumque definitionem. Quae hunc finem reſpicere mihi videntur, proteſtor nullo audere me proferre magiſterio: verum edicere, ut quid ipſe muneri ſerviens tantula ratione mea excogitaverim, intelligatis. Quocirca ſi aliquid haurire poſſe ſperatis, quod veſtram ſoletur diſcendi cupiditatem; anteceptam animis memoriaeque infixam nobilem illam per vos iubeo teneri ſententiam: nullius mordicus tuendum dictum: nullius ſtandum opinioni: nullius nomini, & famae, & auctoritati deſerviendum: verumtamen, ut Sapientiſſimus dixit Plato, *parendum dictis, & eouſque tradita praecepta ſervanda, quoaduſque in terris appareat ſacratior aliquis, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique ſequantur omnes.*

Ma-

Materia Variolarum in corpore humano, ſi placeat adherere conſilio antiquorum peraeque ac recentiorum ; reponenda eſt in ſordibus materni ſanguinis, quo alitur foetus in utero, minime per conſuetas evacuationes expurgati : etenim qui priſcis praeſertim temporibus Medicinam cum laude, & exiſtimatione fecerunt, arbitrati ſunt talem materiam acquiſitam a foetu, & in ipſa accretione ſuis fuiſſe adiectam partibus, ſequeſtratam tamen, tanquam ſuperfluam iuxta cutem, & longe a nobilioribus membris: & dixerunt iſtam materiam neceſſario reperiri in omni foetu: quia embryo non ſit nutritus ſanguine tam laudabili, ut non aliqua ex parte ipſum inficere non ſit aptus: & ideo nullum eſſe a tali immunem morbo, qui ſuam traducens originem ab ipſo embryonis alimento quaſi naturalis, & inſitus, & ipſi naturae coniunctus, nullum a tali immunem aegritudinis lege relinquit: & addiderunt inſuper, quod quantum alimentum illud fuerit immundius, & excrementis abundantius; tanto Variolarum materia copioſior, & ad inficiendum ſit aptior: quare feminae, quae in menſtruorum tempore concipiunt, vel paulo antequam menſtrua compareant, Variolarum tunc temporis materia

fiat

fiat copiosior, & maiori congeratur quantitate, eaque dum foetus adhuc in utero sit non laedat, quia paulatim accumuletur, & huic infecto alimento ipse foetus assuescat; unde ab illius malitia per id temporis haud laedatur, quia sint eius membra virtute ad expellendum debilia; itaut Natura imbecillis, nec ipsam conetur expellere: neque Materia valeat ad expellendum irritare Naturam. Post exitum vero foetus ab utero, cum materia Variolarum per non sanum alimonium vel nutricis, vel cuiusvis alteriusmodi, vel per alimentum vitiati aëris accreverint, en quod lacessita Natura a tali multiplicata materia commovetur, ac agitatur, & in exteriora depellit; ad corpus ex ea purgandum: & hanc dixerunt esse rationem quare corpora, in quibus tardius, vel ocyus ipsa augmentatur materia, ocyus, vel tardius talem patiantur aegritudinem.

Dubitarunt quoque veteres Medici num foetus in utero nutriretur ab illo sanguine non purgato: & licet fuerint qui crediderint ex tali sanguine ipsum substentari, & augeri; nihilo tamen minus inter eos fuere, qui minime tali crescere nutrimento foetum; quinimo eundem nullo modo vivere posse si huiuscemodi nutricaretur impuro

san-

ſanguine : ſed tamen pura tantum, & integra illius parte ali debere dixerunt. Atqui cum nullus ſit ſanguis, quantumvis ſalubris, qui per impeditas purgationes, non plurimis inficiatur ſordibus; ideo embryonem ab ipſo aliquam ſuſcipere, & pati debere infectionem aſſeruerunt, quae deinde menſium, & annorum ſucceſſione manifeſtetur. Eoque magis per talem ſententiam huius morbi neceſſitas exſurgit urgentiſſima, cum ſciamus feminas ſanguine menſtruo non rite purgatas plurimis, & quaſi venenatis ſcatere particulis, quae ſaepe difficiles, & longos pariunt morbos. Quapropter cum alimentum foetus neceſſario talibus abundet impuritatibus: neque his per inſenſibilem tranſpirationem ſufficienter purgetur (feminis ſiquidem tranſpirationis beneficio aliqua ex parte fraudato alterum ſupplet menſtruarum purgationum) videtis quam rationabilis illa fuerit ab antiquis Medicis aſſignata, & definita materia Variolarum.

Hae ſunt antiquorum de materia huius veneni opiniones; quibus novam aliam vel aſtruere, vel in medium afferre veriſimiliorem, temerarium forſan erit: cum praeſertim experientia clarum fiat, venena quaedam (ut illud eſt canis rabidi) per

dies,

dies, & menſes, & uſque annos delitescere abſque eo, quod nulla alia contagione, corruptioneque contaminentur infecti: quapropter hoc Variolarum ad cutim praecipue ſequeſtratum conſiſtere & ipſum poſſit abſque corporis iam affecti per annos iactura. Rationibus hiſce adducti Medicorum recentiores antiquorum ſententiae ſubſcripſere, & forſan inter hos, qui ſupra caeteros fama, & nomine inclaruerunt.

Mirum ſane quod in re tam grandi, & Naturae myſteriis undequaque refertiſſima, a veterum placitis, & maxime Arabum Medicorum, plures ex nuperis non receſſerint: cum praeſertim antiquus Scriptor Cicero talia de antiquis Scriptoribus, & ipſe dixerit: *Errabat multis in rebus antiquitas, quam vel uſu iam, vel doctrina, vel vetuſtate immutatam videmus.*

Profecto quidem in materia ſtatuenda Variolarum ſi non recedere prorſus debuerant ab antiquorum ſententia, circumſpectione tamen erat examinandum, magiſque accurata conſideratione forſan intendendum, an iam dicta materia eadem ſit atque ea, quae Morbillorum: & an quod facit Variolas ſit tantum ipſe infectus ſanguis: & quod Morbillos, ſit eiuſdem tantum in-

 fectum

fectum ſerum. Hoc certum diſpares hos & eſſe, & dici debere morbos, eorumque diſſimilitudines ex differentibus cauſis eſſe factas: & maxime ſi cuiuſcumque attendamus modum exortus, & diſſimilem invadendi modum, atque erumpendi: ita ut uniuſcuiuſque differentiſſima illa ſit, & dici debeat materia, in qua differentiſſima nidulatur morbi natura, & eſſentia.

Talibus permotus rationibus, excogitare ipſe coepi an ſanguis non repurgatus, quo fuit foetus auctus, & altus, dici debeat materia Variolarum: an potius materia duntaxat Morbillorum; utpote qui in colore, & in rubore propius ad ſanguinis eſſentiam accedant, & in tam celeri erumpendi modo: alia namque, ex iam dictis, ſtatuenda mihi videtur illa res, quae Morbillos creat, & alia, quae Variolas: quare neceſſarium ſit aliquam uniuſcuiuſque praecipuam, diſſimilem, & individuam aſſignare, ac perſcrutari materiam: & ſi ad impurum illum ſanguinem contaminatumque, quo creſcit foetus, & alitur in matris utero, materia efficiens Morbillos referri debeat; ad quamnam aliam alter tam diſtans Variolarum, tam indiſpenſabilis, & fere neceſſarius, uti qui Morbillorum, referendus eſſe videatur.

Quod

Quod profecto examen, & quam inquiſitionem cum Scriptorum plurimi praetermiſerint, rei forſan difficultate perterriti; eo magis inquirendam arbitratus ſum: quia in veritatis diſquiſitione, niſi plauſum, veniam ſemper dicentis verba promerentur.

Ne tamen ſuſpenſo haereatis animo, neve ipſa dilatione praeveniat faſtidium novae referendae opinionis; arbitratus ſum materiam Variolarum illud ipſum eſſe accreſcentis foetus nutrimentum, quod ab ipſo foetu per venas lacteas aſſumitur, & ſolidis praeſertim (uti proprietas eſt vaſorum lymphaticorum, cuius generis, & ipſae venae lacteae ſunt) eiuſdem foetus partibus apponitur, & aſſimilatur. Certum ſiquidem, iam viſum Anatomicis venas lacteas omnia perreptare inteſtina, omnique ipſas repleri ſubſtantia, vel exſugere, quod in alimentum corporis cedere poſſibile ſit. Quare docuerunt iidem elapſi ſeculi Anatomici, venas eaſdem per inteſtina tenuia diſſeminari plurimas; per craſſa vero iam exſucta imminutaque alimonii eſſentia pauciores: eaſque reddito chylo ad ſanguinis formam induendam aptiorem in receptaculum Pecquetianum exonerare ſeſe.

Verum cum ſit itaque, vel ad verita-

tem hoc accedat propius, venas ſcilicet lacteas factas eſſe, ſparſas, diſſeminataſque per Inteſtina ad exſugendum, atque exhauriendum indeſinenter quicquid corpori concedi poſſit in alimentum; videtis in accreſcente foetu aſſumere ipſas debere multum ex eo, quod intra inteſtina ipſa continetur, aſſervaturque. Hoc vero quod inibi aſſervatur per omne tempus, quo foetus intra tunicam amnios natans libare ſerum illud incipit; quod eſt dum efformatus eſt totus uſque ad exitum ab utero; cum caloris ope diuturnaque mora neceſſario aceſcat, & magis magiſque exſiccetur in dies; videtis quoque, ſi mentis oculos advertatis ad motum illum contractorium, ſive dicatis periſtaltichum, & circumpreſſorium; ipſis lacteis venis per omne tempus, quo foetus intra illam tunicam commoratur, & lambit, ſuppeditari debere ob diuturnam moram intra inteſtina factam, ſuccum eſſentiae ſeri iam corrupti ſimilem, acidum ſcilicet, acrem, ſalſumque: ita ut nihil aliud efficere lacteae venae poſſint, praeſertim adulto foetu; quam ipſam, ut ita dicam, exſiccare ſiccitatem. Quod ita eſſe ipſa demonſtrant excrementa foetus ſtatim ac ex utero matris erumpit: dum quod ille excernit, pici

ni-

nigrae, compactae, & exsustae simillimum est.

Huic opinioni, ex inquinamento a contentis faecibus intra intestina facto derivare Variolas; ratio forsan alia non vana suffragatur, qua magis magisque haec mea confirmatur, & roboratur. Si libeat enim animum advertere, oculosque ad illam excretionem faecum, quae fit ab infante post assumptionem lactis: & ad alteram illam excretionem, quae ab ipso nuper nato consequitur; videre licet, quod excretio faecum infantis nullam habet similitudinem cum excretione illa, quae ab eo fit non adhuc sugente lac: excretio siquidem sugentis lac est materiei tenuis, & subflavae, & praeterfluentis: verum quae fit a statim nato, & non adhuc lac sugente, compacta est, & viscosa, & nigra, & valde tenax: quapropter inferri iuremerito debeat, quod si foetus lambens in utero serum; alimentum scilicet respectu lactis subtilius, & tenuius; faeces reddit nihilominus compactiores, nigriores, & viscidiores; non aliam ob causam fieri, nisi quia lacteae venae, diuturna mora faecum, omnem exsuxere substantiam subtiliorem, illasque taliter exsiccavere, ut nigrae picis induerent similitudinem: quare quod exsuxere alimonium, &

dein-

deinde appoſuere partibus foetus, corruptionem illam neceſſario exſuſtarum faecum ſapere debeat, & redolere.

Sicuti autem conveniens fuit Creatorem Sapientiſſimum, talem nutritionis diſpoſuiſſe modum, & retentionis faecum intra Inteſtina foetus, ne ipſarum excretione in alia loca, illa devaſtaretur, & corrumperetur compages partium, quibus concluditur: ita fuit aeque conveniens, ut quod impurum alimentum praegnationis tempore partibus communicaretur, a partibus aliquando eliminaretur, & protruderetur.

Ad haec quaedam alia inſuper addenda eſt ratio, ob quam niſi evincatur, exiſtimare ſaltem probabiliter liceat huiuſcemodi eſſe Variolarum materiam: etenim cum duo debeant ſtabiliri tempora geſtationis foetus in utero, & per conſequens eius duae nutritionis viae: alterum videlicet in quo per ſanguinem matris tantum accreſcat, & omnes partes perficiantur nutrianturque: alterum, in quo cum iam ſit efformatus totus, novum nutrimentum aſſumat, ipſique grandiuſculo facto convenientius: & hoc eſt ſerum illud intra tunicam, a qua involvitur, contentum; quod etiam ab Hippocrate in eo libro, quem de Principiis in-

ſcri-

ſcribunt, ſic declaratum eſt. *Puer in utero comprimens labra ex utero matris ſugit, & tum alimentum, tum ſpiritum cordi intro trahit.* Et ſtatim: *Si vero quis interroget quomodo hoc quis ſciat, quod puer in utero trahit, & ſugit; illi ſic reſpondendum eſt. Pueri naſcuntur ſtercus in inteſtinis habentes; & ubi nati fuerint celerrime ventres tum homines, tum pecora exonerant. Atqui non haberent ſtercus, niſi in utero ſuxiſſent, imo neque mammam, ſtatim ut natum eſt, ſugere noſſet, ſi non in utero ſuxiſſet.* Videtis duas iure ac merito ſupponi, & conſtitui debere vias nutritionis foetus, & accretionis; quarum prima cum ex ſanguine nutriente, & alluente partes omnes tantum fiat; certum eſt quod ſi ſanguis maternus impurus fuerit, impuritatem illam partibus quoque foetus communicaturum; & haec forſan erit illa impuritas, a qua per Morbillos vindicat ſe, abſolvitque Natura. Ceſſare tamen haec mala nutritio ex parte materni ſanguinis deberet dum altera via nutritur foetus; quando ſcilicet libare incipit iam dictum ſerum; non quod penitus deficiat tunc temporis prima illa nutritio, quae a ſanguine materno operabatur; veruntamen longe imminui eandem dicendum, nihilque

forſan

forſan aliud ſuppeditari a ſanguine, quam illius ſtillicidium in ſtomacho foetus, quare libato ſero nutritionis, & alimonii tribuat poteſtatem : & quamvis dici poſſet vitium materni impuri ſanguinis tali quoque pacto communicari debere; cum ſerum illud a ſanguine promanet, unde venenum illud obſirmatum in materno impurgato ſanguine debeat ſero lambendo participari; nihilo tamen minus enervari prorſus in ſtomacho foetus tale venenum exiſtimabunt, quibus in pretio eſt illa Experientia noſtri Franciſci Redi, qua veneni Viperarum ingeſti ipſa vis, alias horribilis, deleri penitus, & extingui per vim aliam, virtutemque naturae, ſtomacho inſitam, declaratur. Quapropter cum Naturae ipſius providentia, & benignitas incredibilis hac in re miraculo ſimilis appareat; vigere eamdem ſimiliter in tali opera digeſtionis ſeri, licet vitiati in ſtomacho foetus, dicendum videtur.

Separari in ſtomacho per glandulas in omnem ſuperficiem internae ipſius tunicae confertim inſtratas humorem ſalivae ſimilem, iam declaratum eſt; qui humor per praeciſam glandularum conformationem illius Principii virtutem retinere arbitror, per quam animal exorditum eſt. Etenim, etſi

cre-

crediderint quidam admirabiles illas nervorum propagines undique in ſtomachum diſperſas, tribuere & ipſas poſſe aliquid liquidi illius, quod in nervis contentum eſt, quodque immixtum cum eo, quod ab arteriis ſeparatur, primum coctionis opus peragat: iis tamen nervis referendam potiſſimum cenſeo vim praecipue contractivam, quae tanta eſt, ut adiecta proprio ſtomachi acido animalia oſſifraga duriſſimum, & coctioni obſiſtentem cibum in fluidam brevi convertant ſubſtantiam: & cenſeo talem ſuccum dumtaxat ab arteriis deſtillare; utpote qui exiſtimem contineri tantummodo intra arterias elementum illud, per quod animalis ſtamina exordita ſunt, quodque faciat, ut omnes operationes eiuſdem animalis peragantur: & hoc ſi velitis appellare primum agens, recte dicetis; fuit enim, & eſt ex quo cuncta in motum aguntur, & actus ſuos explicant: & ſi placeat dicere principium, non errabitis; fuit enim, & eſt, eius in quo eſt, cauſa, origo, & primordium: & ſi arrideat dicere naturam, optime dicetis; fuit enim, & eſt, a quo ea, quae animalis ſunt, nata omnia: ipſumque abire arbitror, & aſſervari in ſanguine poſteaquam quaſcunque animalis partes perfecerit. & cenſeo in corde reſtaurari

continenter per omne vitae tempus, ita ut ſtomachus hoc principium ab arteriis ſibi affuſum, participatumque, impartiatur cibo; qui deinde, ope iam dictae contractivae virtutis nervorum, praecipuam coctionem ſuſcipiat. Haec vero res, quam Naturam dico, ſeu animalis principium; ut ubicunque flueret, reflueretque; in ſanguine iam efformatis partibus abire, & diſſeminari conveniens fuiſſe apparet: ſicuti & hoc ipſum principium in ſtomacho per arterias a ſanguine deſtillari, & inde in univerſo animali, quod animalis vitae eſt, quodcunque opus efficere.

Hanc opinionem veritatis aliquid retinere liquet, ſi conſiderare placeat, arterias in eum finem factas, ut per ipſas humores, cuiuſcunque ſpeciei partes ſingulas corporis, non ſolum pervadere, ſed intimius quoque penetrare poſſent, & permanare. Quod ſi tali ſanguinis fluxu, & circuitu partes ſingulae totius corporis alluantur; intimae quoque ſtomachi glandulae tale beneficium ſentire debent, unde ſpirituoſior pars ſanguinis per exiliſſimos glandularum canaliculos inſinuaretur, indeque coctionis maxime tempore, quo omnes ſtomachi diſtenduntur partes, ſecerneretur facilius ad cibi macerationem. Magna ſiquidem velocita-

citate traducto ad glandulas ſtomachi per arterias ſanguine, non tantum qui humor eſt ſeparabilis illic ſeparari debet, verum etiam illius principii retinere vim, ſeu naturam, quae per omnes partes ſanguinis manat, & funditur. Et haec eſt illa ipſa Naturae tanta facultas, quae alicuius veneni aliquando praeciſas ipſas vires validiſſimas, quadam praecipua partium eiuſdem veneni conformatione inſitas, deformare penitus valeat: non valeat tamen obiicere ſeſe infectioni exurgenti ab impuro exſucto a lacteis venis alimento; eo quia, cum aliqua ex ſui parte ſit neceſſario diſſimile, & inconveniens naturali, debitoque; tamen ex neceſſitate apponitur & inſinuatur: quod inſuper cum neque tranſpirationis lege amandari a Natura poſſit; infigitur, & magis magiſque ipſa mora ſequeſtratur in partibus.

Quod vero huiuſcemodi fuerit alimentum, Variolarum ipſe declarat morbus, qui profecto per hanc ſententiam mitis eſſe debet, ſi mater convenientibus veſcatur eſcis illo tempore, quo gerit utero foetum: ſin vero acribus, & abſurdis, & nimis multis; tunc fieri debet, ut Variolae multae, malaeque qualitatis erumpant; morbuſque

ſit vel prorſus lethalis, vel faciem excarnificent, & effodiant, materiamque producant ſanioſam, & foetidam, redolentemque interdum illas ipſas faeces, quas foetus ſtatim ac natus evacuare ſolitus eſt.

Abſit cuicunque dolere, & conqueri Creatorem ſanctiſſimum, ſapientiſſimum, providentiſſimumque tali etiam modo accretionem ordinaſſe foetus in utero: vituperandum tamen matres quaſdam infectis, & auſteris cibis veſci ſolitas; eo magis contribuere, & cooperari vitioſitati alimoniae foetuum: unde poſthac nati, vel a Variolis combuſti, vel tali a matribus ipſis quaeſito philtro conſumantur.

Nec illa quoque obſtat obiectio, nobiliora viſcera, aeque ac externam cutem, ex male appoſito alimento ruinam percipere debere: nam praeterquamquod a diſſectione cadaverum innotuerit hoc factum aliquando fuiſſe; neceſſitas tamen operis erat, quod forſan prope glandulas, praeſertim cutis, & loca ad expurgandum tale vitiatum, & corruptum alimentum commodiora; ratione conformationis partium, & ratione figurae, & qualitatis materiei, ipſum Variolarum conſtitutivum a praeſentiente natura ſegregaretur, vel illis proxime infigeretur.

De-

DEFINITIO VARIOLARUM, quae ex tali examine debet consequi, huiuscemodi proponenda est. Quod scilicet sint alimentum indecens humani foetus, cui accedente tum inde externa simili per aërem serpente illuvie; a natura per fermentationem, & ebullitionem dissolvitur a partibus, & sequestratur in pustulas.

Nomine alimenti id omne debet intelligi, quod particulis quibuscunque corporis admovetur: quare sit Naturae ipsius subsidium ad illas substentandas, & restaurandas. Huius duae videntur esse species, quarum altera dici debeat alimentum decens, vel alimentum indecens altera. Alimentum decens fit & conveniens, quando principiis, & componentibus rerum fit appositio similis, vel fere similis aliarum rerum: indecens vero, & inconveniens, quando talis fiat novarum particularum ad principia appulsio, quae non omnem habeant cum prioribus, & naturalibus similitudinem: & quae pariter, etsi prorsus inutiles, vel nocentes, infigantur tamen ipsis, & adiungantur, eo quod aliquam habuerint iam cum eisdem proportionem, uti est materia Variolarum: vel quae sit nec utilis, nec nocens, & infigatur similiter; uti sunt lentigines quae-

dam-

damque diverſae materiae, quae infixae cutem externam, & forſan internas quoque corporis partes abſque noxa, & laeſione diverſo inficiunt modo.

Vtinam, Auditores, fieri poſſet, ut ſicuti corporis oculis tam in hominibus, quam in animalibus ceteris, & plantis accretionem videmus; ita mentis oculis introſpiceremus, quomodo talis fiat a Natura partium novarum appoſitio, & veterum reſtauratio.

Neminem latere arbitror, cunctas res creatas a ſapientiſſimo artifice Deo, vel aſſiduo ferri motu, vel intra ſeipſas motum pati: eapropter affirmarunt rebus omnibus quietem integram fuiſſe denegatam, nihilque ex ſolidiſſimis metallis uſque, & lapidibus magis compactis extare, in quibus tractu temporis aliqua nova non appareat inclinationis, & converſionis facies: & ſive hoc fiat per ipſammet rerum intrinſecam agitationem; quare particularum componentium tranſmutatio quaedam exurgat: ſive per materiam illam tenuiſſimam, & velociſſimam aetheream, quae omnium rerum poroſitates pervadens, ſubſtantias ipſas commovet, atque exagitat; ſive alia quaecunque illa ſit motus lex, qua inani-

mata

mata ipſa omnia continue moventur, & conteruntur; certa infertur haec ratio, quod ſi inanimata ipſa (pace dixerim illorum Philoſophorum, qui animam rebus quibuſcunque tribuerunt) detrimenta temporis ſentiunt, & intrinſeca colliſione diſturbantur, extrinſecoque indeſinenti pulſu demoliuntur; multo magis animalia, & homines experiri debent miſeram hanc neceſſitatem, ob quam, etiam abſque ulla extrinſecus adveniente cauſa, verum ex ſola ipſa actione invicem, & paſſione principiorum, & componentium, deficere minutatim debent, & interire.

Vt tamen ineluibile patrato ſcelere mortis illa explicata fuit lex, & nihilominus Creatoris infinita charitate tempus aſſignatum, & praeſignificatum, in quo vitam traducere poſſent homines, ſi nulla ab iis fuiſſet iniuria illata Naturae; ita ab ipſo vitae exordio ad uſque terminum, parata fuere alimoniorum ſubſidia, quibus ea, quae quotidie deperderentur, quotidie repararentur.

Verum enimvero quo modo hoc fiat, praeſertim in homine, arduum eſt inveſtigare. Fuere ſiquidem inter Philoſophos veteres (ut rem a ſua origine repetam)

petam) qui minime intelligentes quomodo in huiusmodi victu, aquae scilicet, & panis, alimentum inesset conveniens capillo, venae, arteriae, nervo, ossibus, & partibus ceteris quibuscunque, dixere, inesse quidem in hoc alimento particulas convenientes, & unde talis fieret accretio partium: veruntamen mente videri sola, sensumque omnem refugere. Huius sententiae auctor, vel magister ille fuit Anaxagoras, qui multo ante Aristotelis tempora floruit, quique in Physicis speculationibus fuit excellens, & Euripidis, & Periclis, & Socratis praeceptor.

Particulas illas minimas, rerum omnium prima componentia, *primigenias* appellavit Plato. Aristoteles vero illas dixit *similares*; hac eadem usus appellatione, ut & Anaxagoras, qui non intelligens, qua nam ratione fiant, quae per alimenti assumptionem procedunt, & qua nam ratione iam facta disperdantur; unam rerum omnium Mentem, & effectricem Causam, a qua cuncta dirigerentur, & ordinarentur, posuit: quare Plutarchus Philosophus nobilis, viri illius hanc opinionem referens, tali, solidaque ornat laude, dicens: *Hic approbandus est, qui materiae artificem adiunxerit.*

Ga-

Galenus, qui Plutarchi vita exacta vixit; iam dictis alia addendo, & alia excerpendo ab antiquioribus ſapientibus, ac veluti propria depromendo; virtutem verbi, & ſignificationem vocis huius *ſimilaris* Lib. 1. Methodi declaravit ſic dicens: *Deus eſt illa ſicut in hominibus natura; prout ſentit Homerus: quae ſimilia ſimilibus adducendo, divinas eo pacto ſuas virtutes oſtendit.*

Ingenia recentiorum Philoſophorum, tanto licet ſeculorum fluxu, & intervallo, minime ſuffeciſſe ad conſtituenda, & demonſtranda Principia rerum, & componentia; quamvis acceſſerint inſequentium temporum tot, tantaeque excogitatae ſuppetiae: ita ut haec ipſa Principia, uti Anaxagorae temporibus, ignota adhuc ſint; confeſſus eſt Gaſſendus, vir profecto ingenuus, & eruditus, & Philoſophus, in Cap. ſecundo, qui eſt circa temperiem, & valetudinem animalium, ita loquens: *quod ſubolfacere quidem liceat praeter iſta corpulentiora, atque craſſiora elementa, eſſe longe incorporatiora, ſubtilioraque alia, quae ſenſum omnem fugiant; at praeſumere nihilominus, gloriarique non liceat, poſſe ex illorum ſuppoſita extantia, aut percipi, aut declarari,*

quisnam sit mixtionis temperationisque ipsorum cum ceteris modus; aut qui facta ex ipsis temperies sit facultatum proprietatumque consequentium origo, & radix . . . . videri nos non aliam ob causam Naturae arcana, seu naturas rerum, germanasque causas tot effectorum, proprietatum, facultatumque admirabilium ignorare, quam quia sensibus destituimur, quibus praeeuntibus intellectus, sua acutie, principia huiuscemodi deprehendat, assequatur, perlustret, inspiciat. Quos profecto rerum effectus, quas actiones, quas proprietates demiramur, corporeae conditionis sunt; quare & principia habent corporea, quae si possemus detegere, tum naturae fores paterent, ac omnia illius arcana plane prorsumque perspicerentur.

Principiorum itaque, & componentium in rebus omnibus, & praesertim in corpore humano cum nesciamus essentiam praecisam, ac individuam; eorumdem quoque nescire debemus successivam illam reparationem; qua languentibus, & deficientibus primis, nova semper administrat, apponit, substituitque Natura: quare partium exsurgat alimentum, & fiat. Cum tamen hoc evenire certum sit, incertus vero huiusce rei modus, ordo, ac ratio;

eo

eo magis convenit ingenii vires intendere ad aliquam inquiſitionem veritatis perſequendam : quod profecto nullo meliori conſilio, quam rationabili ipſa coniectura poteſt effici.

Eſt autem coniectura rei latentis indicium, & id, quod quis per rationes, & tempora, & ſigna, & huiuſcemodi coniicit; ideſt cogitat, & colligit. Rationes vero, quibus per iam dictam coniecturam tam grande Naturae opus poſſit in animante perfici, non aliae mihi eſſe videntur, quam Principia ipſa, & componentia, quibus, uti ſuperius iam dictum, indita ſit ab eadem Natura magnetica quaedam facultas, ob quam noviter quae ingeſta, ſimilibus iam pridem exiſtentibus copulentur, apponanturque.

Verumtamen cum ſit haec non potior in Animali operatio; ſecundaria tamen, & quae alterae primaeque famuletur; adiungere convenit hiſce Principiis agens quoddam primum, quod eſt proprius cuiuſcunque creatae rei ſpiritus, qui animans incitanſque ipſa Principia, virtutem illis impartitur aſſimilandi ſibi ipſis aequalem, germanamque materiam; ita ut quae indeficienter conſumuntur, indeficienter itidem reſarciantur.

Hunc ſpiritum (etſi ſparſum in univerſo animali) confluere tamen in ſtomacho veriſimile eſt, inibique deſtillare per glandulas, ſive per extremitates vaſorum, quibus undequaque veſtitus, & circumſeptus interius eſt ſtomachus; ita ut quod hic ſeparatur, ſit quaedam ſubſtantia tenuis, & ſpirituoſa, quae cibo primum immixta, ſui faciat eum redolere, induereque naturam. Sunt etenim glandulae, quemadmodum primus declaravit Hippocrates; *rarae, & pingues, & neque carnes ſunt reliquo corpori ſimiles, neque aliud quid ſimile corpori; ſed friabiles ſunt, & venas multas habent: ſi vero diſſeces, ſanguis largus erumpit ſpecie albus, & velut pituita. Tangenti autem velut lanae apparent: & ſi multa vi ipſas digitis compreſſeris, glandula humorem oleoſum remittit, qui & ipſe conteritur ut plurimum, ac diſperit.* Illam autem ſubſtantiam ſpirituoſam (ut quae dixerim exiſtimare me iterum referam) unde cibus eiuſdem modi indolem acquirit; adipiſcitur ſtomachus a ſpiritu ſanguinis ab arteriis illi effuſo: quare cibus tali imbutus ſpiritu, cum deinde magis magiſque perficiatur in aliis partibus ad illum integre coquendum deſtinatis, inſtaurationi corporis fit aptus: & hac ratione mani-

fe-

festum fit quam sapienter idem Hippocrates dixerit: *principium corporis nullum esse; sed omnia similiter principium, & omnia finis*. Tali siquidem natura spiritus arteriosi affectus cibus, chylum gignit similem habentem naturam; & ex chylo iam confecto novus reproducitur sanguis: a sanguine nervosus spiritus, ceteraque exoriuntur liquida; quae omnia primigeniam illam essentiam sapere debent, & continere. Veruntamen, nec liquida ipsa sola tali affici ingenio debent; sed & partes solidae omnes per appulsum praeterlabentis sanguinis eodem debent beneficio gaudere naturae, itaut, sicut edixit Hippocrates, circulo facto, vel ipsa circulatione, exordia nutritionis, & alimenti partes omnes assumant a stomacho, primamque illam stomachi affectionem referant: & ita fiat *Confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia: etenim principium omnium unum est, & finis omnium unus, & idem finis est, atque principium*: eo quod ubi desinit, iterum redeat, & in se revertatur Natura. Videtis hic, Auditores, quam sapienter celeberrimus vir ille antiquitatis artificium rerum, & Architectum fuerit demiratus, de eo qui simili, parique ordine cuncta

con-

construxit sic dicens: *inchoata perduxit ad finem propere: rursumque a fine reflexit ad initium: e planctis enim fit fructus, tanquam e principio finis: & e fructu semen intra se denuo plantam continens, tanquam e fine principium.*

Quo nam vero modo partes corporis omnes oeconomiam illam, sive distributionem, sive appropinquationem alimenti percipiant, difficile est subolfacere; & praesertim quia non possit haec quocunque vitae tempore eadem ratione fieri, eademque mensura. In foetu enim [ne ab hoc longe diffluam argumento] cum duo debeant determinari tempora nutritionis; alterum scilicet, in quo minime valeat lambere contentam intra tunicam, qua ipse est involutus, humiditatem: unde fiat quod a materno tantum sanguine substentetur, alaturque: & alterum, in quo potens sit ad serum ipsum exsugendum; videtis quam difficile sit dividere, & partiri secundum diversum modum se nutriendi, diversum illud, quo alitur alimentum.

Ipse, ut vera fatear, cum opinionibus vel meis, vel aliorum assentiri hac in re debeam, eo quod oculis credere nequaquam possim; arbitror alimentum in ute-

ro

so foetui accommodari debere eodem prorsus modo, quo illi extra uterum, & iam crescente accommodatur. At quis est, qui non sciat a Sapientia divina edoctus, aquam, & panem vitae hominis esse initium? Cum vero infantiae tempora excesserit, fueritque factus puer, delectatur fructibus, & deinde in dies adolescens duriorem exoptat victum, usquequo carnes, & ipsarum ius, quod earumdem habet rationem (& unde forsan a Latinis deducta est vis illius nominis) in sui alimoniam assumat. Si itaque foetus deinceps accrescens exoptat nutrimentum accretioni conveniens, per quod partes leniter, ac sensim obduratae, sensim ac leniter adaugescant; videtis foetum sui initio aliquid tantum delibare a sanguine matris debere, & usquedum grandiusculus factus alimonium lambere incipiat, quod scilicet ipso iam nato lactis suctionis fuerit rudimentum.

Credibile tamen etsi fiat, talem foetus exordio modum nutritionis fuisse a Natura ordinatum; adhuc tamen ea obversatur menti obscuritas, atque caligo, ob quam difficile intelligitur quonam pacto fiat illi primo tempore, vel iam adulto, partium

nu-

nutritio, & conſervatio: illaque viget ſemper Anaxagorae difficultas non intelligentis, qua nam ratione cibus aſſumptus, & vel ipſa ſola aqua, & panis in alimentum omnium eius partium diſtribuatur; ita ut capillus particulis ſibi congruis gaudeat: oſſa particulas ſibi ipſis conformes deligant: cerebrum, & ſpinalis medulla ſimiles alliciant: eodemque ordine nervi, & venae, & cuiuſcumque diverſae corporis partes reliquae ex cibo tam ſimplici tanta particularum varietate denuo veſtiantur, atque reficiantur. Quae omnia, etſi a praecipua materia, partibuſque nutriendis conforme, & a vi efficaciaque illius ſpiritus, quo eſt foetus ornatus, fieri debere dicendum videatur; via tamen, & ratio, unde talis fiat per materiam, ac ſpiritum accretio invia, ut dixi, humanae menti prorſus eſt, omnique deſtituta ratione: & ſupra difficultatem Anaxagorae ſtat hoc antiquius, & ſemper venerabilius Eccleſiaſtici dictum, quo hominum circa quaſcumque res confringitur quaeſita quaecumque, & conteritur ſapientia. *Quomodo ignoras quae ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre praegnantis: ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.*

Cum

Cum autem Philoſophus ille materiae artificem adiunxerit; placet mihi eruditionis tantum, & ſtudii gratia, tam grande myſterium adire; non ut illud interius perſcrutari audeam; verum ut admiratione raptus, profitear libere ignorantiam meam, quam profecto ſuperare non potero, niſi cum ex ineffabili, quam ſpero, bonitate, donetur ſupremum Opificem ſecure diligere; & venerari; & in lumine eius, cunctarum rerum patrem, & lumen ipſum aeternum intueri.

Fingo itaque (quia nec quid clarius, nec quid veriſimilius curta ſupellex mentis meae mihi praeſtat: & quia, ut dixit Cicero, *cum mens noſtra quidvis videatur cogitatione poſſe depingere*) quod cum per illa creationis exordia divinae vocis ſemine, rerum naturae omnium, ſuis incluſae ſeminibus, & ſeminatae diverſo fuiſſent ordine; quibuſcunque rerum naturis praeciſa fuiſſet inſerta vis, qua ipſarum unaquaeque in reparationem ſui generis uberius aſſurgeret; illamque vim fingo ſimul eſſe, & dici debere Naturam. Quantum vero tantula ſit res illa, & cauſa, in quam, & ex qua tanta includitur, & excluditur vis; ab exemplo minutulorum ſeminum procerri-

marum arborum deducere quiſque poteſt: id vero quod eſt in tantula, exiliſſimaque parte grani ſeminis, & vi ſua facit, ut fecunda ſint ſemina, eſt, vel apparet quod ſit ſeminatarum, & ſeminandarum rerum natura, quae in ſemine latens, a ſemine, quod in duas partitur partes, recreatur extolliturque. Fiunt autem hae duae partes, ut in terram iactum eſt ſemen, terrae, & humoris beneficio, veluti turgeſcentes mammulae, quae alimentum praebent, unde ipſa natura ſeminis erumpit, ac germinat: & haec, quae arborum videtur eſſe ratio ſeminum, ſimili proportione, aliarum rerum omnium ſeminibus poteſt aptari.

At poſito talem eſſe, & dici debere Naturam, perſcrutari modo convenit quonam pacto in animalibus, & in homine praeſertim, talis operetur vis, & quomodo ad illorum alimentum, & ſuſtentationem ipſa manat, & funditur.

Robertus Boyle, ut eo maxime utar auctore, qui primus poſt Hippocratem auſus eſt intimius penetrare Naturam; quique ſummis laudibus exornavit praeteriti aevi noſtrates homines, qui Academiam illam frequentabant, Academiarum circa Experimenta reliquarum omnium

ma-

matrem, a Magno Duce Ferdinando ſecundo, virtutibus quoque regiis inter ceteros aetatis ſuae principes nobili, fundatam, & ſubſtentatam; in eo libro cuius ipſa Natura eſt titulus, pretium verbi exploravit, & qua potuit meliori demonſtratione tam ineffabile univerſi miraculum ſectione quarta ſignificavit: innuens, praeter alia, Naturae vocabulo nihil aliud, communiter loquendo, interpetrari poſſe, quam id, per quod *corpora apta fiant, quae agant in ſe mutuo, patianturque a ſe invicem iuxta ſtatas motus leges*. Qua demonſtratione, cum nulla ex allatis omnibus, quae talem tantamque virtutem ipſius Naturae explicet, inveniri poſſit melior, & aptior, omiſſis ceteris omnium Philoſophorum, auctoritati, & argumentis tanti viri libenter ſubſcribere ipſe deberem [ſunt enim Florentini ab ipſa natura, ſive ſtudiorum, ſive altera magis explorata honeſtatis ratione, coniunctiſſimi Anglis: neque vir ille altiſſimus, cuius viget hodie, & ubique terrarum ſapientia veneratur, & colitur, quique primas inter Philoſophos tenet Nevvtonius, aliter dici debet, quam noſtrorum temporum Galilaeus: ſicut ſuis praetergreſſis temporibus fuit Galilaeus

Nevvtonius & ipſe.] At cum latiſſimum, & profundiſſimum ſit ipſius Naturae pelagus, cymbulae quoque mentis meae locus erit, quo pleniſſimis velis excurrere, & navigare poſſit oratio: & utar verbis, quae ad declarandum conceptum ſermonem convenientia videntur, & apta, dicens primum. Naturae vocabulo in plurimis rerum generationibus (ut quae iam dixerim ad clariorem intelligentiam denuo repetam) nihil aliud interpetrari debere, quam vel id, per quod in ſuo genere intelligitur aliquid eſſe: vel interpetrari debere vim praeciſam reſultantem a praeciſo ſpiritu initio creationis rebus ipſis ingenerato, inſitoque praeciſae materiae a Creatore. Quamobrem, & vis earum reſultet a ſpiritu, vel ſpiritus ſit illa ipſa vis, quae dicatur, & dici debeat, Natura: quare alimentum apponatur partibus per principium illud, quod & ſeminibus rerum implantatum eſt: ſive per rei cuiuſcunque Naturam, quae id, quod ſibi ſimile eſt, aſciſcit, & appetit; quod vero diſſimile, repellit, ac reſpuit: itaut quaecunque rei Natura ſit illud Principium, per quod unaquaeque res naſcitur, creſcit, germinat, & ſimilem procreat: & tam in na-

ſcen-

ſcendo, quam in creſcendo, & germinando, & procreando unam ſemper ſervat regulam eamdemque.

Huic Principio in tantula, & exiliſſima parte ſeminis reſidente, quod inſit ipſa rei Natura, minime dubitandum: verum cum ſe explicaverit in germen, quodcumque illud ſit, & fuerit omnibus germinis affuſa partibus; qua in parte cubet potiſſimum praecipueque moretur, difficile non eſt inveſtigare, ſi arrideat illam omni ſapientia redundantem tenere Hippocratis ſententiam, talia in libro de Humoribus aſſerentis: *Quemadmodum arboribus terra; ita animalibus ventriculus; & nutrit, & calefacit, & frigefacit.*

Verum, ut alimenti haec diſtributio intelligatur commodius, quomodo ſcilicet animalia percipiant a ventriculo prima beneficia Naturae, cogitemus oportet, quo nam modo e terra naſcentia & ipſa alantur, & creſcant. Et hac in re praemittendum videtur patentiſſimum hoc exemplum: quod ſi apud aliquem ſit vas aliquod, ſeu terrae receptaculum, ubi herbae diverſae ſpeciei, diverſaeque indolis, uti lactuca, matricaria, endivia, ruta, &c. fuerint ſeminatae, procul dubio eſt, quod debito tem-

poris

poris progreſſu naſcentur, & adoleſcent, & illarum unaquaeque, quamvis diverſae indolis, & naturae, intra illud terrae receptaculum radices habebit ſuas cum radicibus ceterarum intertextas, circumretitas, implicataſque: quae, etſi uno alantur omnes humore, eademque terra contineantur; nihilo tamen minus erit, & quae in caloris facultate, & quae in frigoris alias exſuperet, quaeque ab alia ſit in alia facultate ſuperata. Quae omnia praeſertim fiunt, ac fieri debent a diſparili illa aſpiratione naturae, quae diſparili modo cuique differenti inſerta ſemini, quod ſecundum praeciſam naturam ſeminis eſt, tam ab aëre, quam a terra, & humore aſſumit, & in alimentum ſuae praecipuae generationis convertit, cetera reſpuit, aliiſque concedit.

Quod tamen hactenus dictum eſt, non adhuc explicat intimiſſimum illum agendi modum, quo utitur Natura in exortum, ac ſubſtentationem rerum, earumdemque accretionem: explicari vero quodammodo mihi videtur, ſi dicam in partes ſeminis ſparſam eſſe peculiarem materiam aptam animari a peculiari ſpiritu, illi vel intruſo, vel communicato materiae ſeminis: quare unumquodque ſemen revera ſit diverſorum

com-

componentium congeries conveniens ipsi rei, cuius est semen: quae componentia simul unita cum in sibiipsis decente matrice a spiritu proprio illisque inserto, vel attributo, agitari incipiunt, fermentari, ac rarefieri; distribuit, partiturque in gignendi actu spiritus ille materiam omnem seminis, & efformat rei procreandae parvulas minutulasque particulas: & deinde successive, quicquid ipsis componentibus simile est, ab aëre, a terra, & cuiuscunque matris humore ordinatim assumit.

Perbelle, ac elegantissime tam grande hoc Naturae opus declaravit Hippocrates in lib. quarto de morbis dicens: *Postquam comedit, aut bibit homo, corpus in seipsum, humorem relatum ex ventriculo, & fontes trahunt per venas de ventriculo, similis humor similem trahit de terra. Habet enim eodem modo terra omnigenas in seipsa, ac innumeras facultates. Quaecunque enim in ipsa nascuntur, his omnibus exhibet humorem similem unicuique, qualem & hoc ipsum, quod nascitur, sibi similem iuxta cognationem habet; & trahit unumquodque de terra alimentum, quale etiam ipsum existit. Nam & rosa de terra trahit talem humorem, qualis ipsa in potentia est: & allium de terra hu-*

humorem eiusmodi trahit, quale ipsum in potentia est. Et alia omnia terrae nascentia ex terra trahunt, singula iuxta seipsa. Si enim haec res non ita se haberet, non nascerentur plantae similes seminibus. Cui porro plantae in terra cognatus humor multo uberior est, quam convenit, ea planta aegrotat: cui vero paucior, quam opportunum est, ea resiccatur. At si ab initio non insit terrae humor, quem planta iuxta cognationem trahat; ne germinare quidem poterit &c.

In hanc Hippocratis sententiam includitur, vel ab hac derivatus est recentiorum decantatus Magnetismus; per quem res omnes sibiipsis similia attrahentes, asservari, & cresci debere asseverant: & haec opinio acceptabilis profecto est per illos praesertim, qui firmiter credunt in rerum seminibus, & multo magis animalium, & hominum, diversas simul unitas esse substantias, quibus per affluxum circulationemque humoris, vel sanguinis, novae spiritus beneficio, reapponantur substantiae, a quibus, quae insitae, refocillentur, restaurenturque. Quod tali pacto fieri debere constanter arbitrari sunt, maxime accurrente ipsa aëris gravitate, quae ex omni parte urgendo, & incessanter premendo, al-

la-

labenti humori viam faciat, & ad circulandum ipſum urgeat, impellatque. Eoque magis talis declaratur operatio Naturae, ſi rerum callidiſſimae, ac peritiſſimae culturae, & illarum maxime, quarum ſemina poſtquam iaciuntur in terram, & excauleſcunt, denuo transferuntur in terram, advertatur animus: non enim, ut arborum praeſertim radices extendantur facile, ſecuriuſque firmentur earum caudices, multo intus in foſſae profunditatem aptari, & reponi convenit; implantari veruntamen debent circa ipſius ſuperficiem, quo aëris beneficium ſentiant, neque eaedem radices terrae ſimul, & aëris gravitantis ponderibus compreſſae nimis remaneant: quare humor influens ramorum proceritati, & fructuum copiae abunde reſpondeat.

Rerum exordio perpaucula quamvis hac mea, penituſque fracta ratione ſic definito; addendum tum etiam neceſſe videtur, quod ſicut exortae rei Natura, ſive Spiritus, ſive materialis Anima creſcit quotidie, reſtauraturque, ac per aliquod ſpatium temporis in vigore perſiſtit; ita deinde ſenſim, ſenſimque decreſcit. Verum ipſa alimenti diſtributio per omne vitae tempus primis illis componentibus apponitur: ete-

nim prima componentia talem rem, vel tale animal; excrescunt & ipsa, sustentantur, vel imminuuntur proportione illa, & secundum mensuram, qua spiritus, qui est sive rei, sive animalis Natura, potens est ad rarefacienda plus, minusve componentia illa rei, vel animalis: unde essentiae externarum particularum, quae quoquomodo assumantur, & quae similitudinem habeant cum essentiis particularum constituentium constitutiva, & principia ipsa rerum; per talem illam spiritus, seu Naturae energiam, suppeditare possint accretionis, & sustentationis fomenta, quae tamen paulatim deinde deficiant; non ex parte rerum, quae assumantur; veruntamen vitio Naturae, seu spiritus, qui diuturna, irrequietaque debilitatus, & relaxatus opera, non sit amplius sufficiens ad sustentandas, reficiendasque particulas constituentes ipsa Principia componentia; ita ut haec fiant exucca, exinanita, & vigorem, gratiam, roburque omne tandem amittant.

Et sicuti videmus evenire in orbe Terrae, in quam Solis orbis radios suos spargens impartitur lucem, quae lux parum facultatis haberet per se sola, nisi taliter esset conformata, ut a Solis corpore, & dum

transf-

transversum agitur, aethereum spiritum incorporaret; quem spiritum animam lucis esse, abunde patet: non enim eandem vim habet lux, seu radii Solis autumnales, sicut qui per vernum tempus diffunduntur; quamvis ipse Sol per illa tempora super faciem Terrae quadam statuta hora illucescat aequaliter. Vere enim tantum novo exaltantur germina herbarum, & arborum, revivescunt frutices, in amoris furias, ignemque ruunt animalia fere quaecunque: & denique alligantis omnia hiemis tristitia dissolvitur: at per æstatem, & per nimios redundantesque calores, Naturae operationes, & rerum plurima germina vel subsident, vel contabescunt: ita ut ipsa intensior caliditas, lucisque immoderata potestas, Naturae vires rebus plurimis imminuat, aut frangat. Quod est indicio ipsi luci multo magis immixtam esse verno tempore salutarem vim illam, vitalemque per omnem mundum pertinentem, quae super faciem terrae accrescentibus diebus accrescat, eademque decrescat decrescentibus. Quod si sola caloris actione haec omnia perficerentur, uberius germinare deberent arbores aestivo, quam verno tempore, omnesque tunc melius excitari deberent naturae vires, & flamina.

Cum itaque radii Solis ipſa tantum admixtione aetherei ſpiritus vegetare cuncta faciant, nutriant, atque ſuſtentent: ipſique radii ſua operatione peracta vieti remaneant, & imbecilles ad Solem, unde ſunt digreſſi, redire propria gravitate cogantur, ſuoque forſan reditu induere novam aetheris, & ad ſolem referre virtutem; an non, & in animali, & in homine idem prorſus evenire dicendum? Dicendum ſcilicet ſanguinem vividum ac rubentem ſpiritu cordis animatum, a corde pulſum; ac forſitan in aliquibus locis novo ſpiritu affuſum, & denique in partes omnes corporis plus minuſve diſperſum, in eaſdem arteriarum beneficio proſilire, ut congruis particulis, ad inſtar radiorum Solis; veluti ſupra eſt indicatum; componentium, & membrorum particulas alio in modum amnis turgeſcentis vi propulſae aquae, alio fluenti, vel rivi proportione reficiat, atque reſtauret; eadem prorſus ratione, qua lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, & ſimiliter frutices, virenteſque circumdiſperſae herbae, alluentium aquarum beneficia ſentiunt, & gaudent; quae ſi deficiant vel in iiſdem ob aliquam cauſam deficiat ſpiritus aquarum proprius, diſſolvi illas, vel flacceſce-

re

re neceſſe eſt : uti flacceſcunt , & languent omnes partes per inopiam ſpiritus corrugatae , algentes , contractaeque , confectis hominibus ſenectute.

Hac profecto ratione ipſe adducor, ut credam rebus omnibus, ipſiſque animalibus in primis , tam multam eſſe neceſſariam quantitatem aëris: quia ſcilicet non ſolum ab externo ſpiritu , internus rerum ſpiritus recreetur, & inſtauretur; verum ut ex quavis natura particularum tantarum per ipſum diſperſarum aërem , quae eſſentiae componentium animalia, reſque ceteras, ſimilitudinem habeant cum eſſentiis omnigenis per aërem diſperſis, inſpirati aëris beneficio itidem reſtituantur : & adducor , ut credam, citiorem in corporibus Spiritus iacturam , febrium , morborumque omnium , & citioris ſenectutis eſſe cauſam, longioremque iuventutem traducere, qui nec praecipitanter perdere, nec nimis effuſe diſſipare ſpiritum properant; etenim & arbores ipſae, quibus ſuperveniente frigore decidunt folia, aſſervant adhuc, & ſupra ſuae ſpeciei ceteras , quae praeſertim, ſi fuerint paucis natae annis, proprio abundent ſpiritu ; ita ut per ipſum melius nutritionem eorumdem protrahant, longiuſque frondeſcant, & vireant.

Quae

Quae de modo alimonii, a quo cunctae res ſuſtentantur, & homines, & de rerum ſpiritu ipſe dixi, ab Hippocrate praeſertim accepi, qui ſicuti de rerum exordio, ita & de rerum interitu ſapienter eſt alloquutus lib. de Natura hominis, in quo ad plurium rudem ſtolidamque intelligentiam circa quatuor vulgata illa rerum elementa ſeſe accommodans, haec ait: *Et rurſus neceſſe eſt ſecedere ſingula in ſuam ipſorum naturam, homine moriente. Humidum nimirum ad humidum: ſiccum ad ſiccum: calidum ad calidum: frigidum ad frigidum. Talis autem, & animalium eſt natura, & aliorum omnium; generanturque ſimiliter omnia: & occidunt ſimiliter omnia. Conſtat enim natura ipſorum ex his praedictis omnibus, & deſinit iuxta praedicta in id unumquodque, unde eſt compactum ſecedens.*

Praeclariſſimam hanc ſententiam citatus auctor vel ab immortali, & rationali ſuo lumine hauxit, & accepit: vel eadem fere eſt, atque haec, quae legitur in Eccleſiaſte. *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Idcirco unus interitus eſt hominis, & iumentorum, & aequa utriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic*

& il-

& illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo: ſcilicet circa ſuum eſſe materiale tam in exortu, quam in interitu; *iumento amplius*.

Sed ut eo redeat unde haec Diſſertatio longe dilapſa eſt, in eaque declaretur tandem qua nam ratione alimentum foetus, non totum ſit ipſi foetui proprium, quare proceſſu aliquo temporis erumpat Variolarum morbus; neceſſe habeo, ut veſtram iam depellam ſitim, ab Hippocratis fonte inexhauſtas rurſum haurire aquas.

Philoſophus hic ſuum cogitandi, & ratiocinandi modum ad rationem, qua utitur in agendo Natura conformavit, aptavitque; illis quamvis edoctus, & integre inſtructus; renuncians diſciplinis, quibus hodie, novo docendi ordine, & maximo fortaſſe Religionis noſtrae damno, placet educare adoleſcentulos: ita ut his eae proponantur artes, quae magis ad exercendum ingenium, quam ad illuſtrandum animum valeant. Philoſophus inquam hic dum explicare ſtudet, quo nam pacto primis illis rerum Componentibus apponantur denuo aliae particulae, quae cum illis iam exiſtentibus eiuſdem ſint indolis: & dum ipſo Naturae ordine, ac lumine opus

hoc

hoc perluſtrat; a terra ſimiliter exemplum petit, ac talia profert. *Quemadmodum ex terra naſcentia, & in ipſam plantata, ac ſeminata, ubi in terram pervenerint, unumquodque trahit id, quod naturae ſuae familiare in terra exiſtit (ineſt autem in terra, & acidum, & amarum, & dulce, & ſalſum, & omnigenum.) Primum itaque plurimum eius trahit in ſeipſum, quod ſibi iuxta naturam maxime familiare fuerit, deinde trahit etiam reliqua.* Etiam reliqua trahere foetum, praeter ea quae ipſiſmet eius componentibus maxime familiaria fuerint, in ſimilem modum earum rerum, quae ex terra naſcuntur, credibile eſſe videtur: & praeſertim ſi accretionem illam inſignem foetus conſideremus per ea tempora, quibus in utero matris degit: quae accretio cum per vividam valentemque vim Spiritus foveatur alaturque; nihil mirum mihi videtur ſi particulis naturalibus per ſimiles particulas accreſcentibus, particulae quoque aliae etherogeneae diſſimileſque admiſceantur, & tenellimis, molliſſimiſque partibus eiuſdem foetus ſimul infigantur: quae cum fuerint infixae, non niſi externo violento furentique pulſu, & magno deinde tumultu morbi, & ceterarum ſeditione

par-

partium evelli a natura, & refelli poſſint.

Si alimentum tali ratione procederet ſtaret forſan definitio allata Variolarum: & maxime ſi & materia ipſarum talis foret qualis a me indicata eſt: verum cum de rebus incertis, & controverſis ipſe dixerim; contenti eritis hoc in loco iterum referre me haec ipſa verba quae Cicero in libro de Vniverſitate grandia tractare audens conſignavit memoriae hominum ſempiternae: *Si forte minus id quod habemus animo conſequimur, ut tota dilucide, & plane oratio exornata ſibi conſtet, & ex omni parte ſecum ipſa conſentiat: haud ſane erit mirum, contentique eſſe debebitis, ſi probabilia dicentur: aequum eſt enim meminiſſe, & me qui diſſeram, hominem eſſe, & vos qui iudicatis; ut ſi probabilia dicentur, nil ultra requiratis.*